Reverende Pater in Christo Pater

P. C.

Quarta post meridiem hora nudius tertius Domi nostrae pie quod spe-
ravi est extinctus est Ch: in Christo frater Georgius Ulr. cum inq[illegible]
octo dierum sacris S: P.³ Ignatii exercitationibus animum [illegible]
petiisset, ardentissime supremis morientium religionibus [illegible]
precibus continuo deferendum esse eo alacrius duximus quo periculum
adesse propius e petitis medicamentis intelleximus. vita lumen [illegible]
dorfii in Bohemia Anno 1711 tertia Decemb: in Societatem recep[tus]
1743. 27 Septemb: egit in hac socium Coqui annis tribus circum sex [illegible]
[illegible] [illegible] cenaculi curatorem in annum sextum excitatorem nostro[rum]
23 [illegible] latorem nocturnum 9 annis temporariis in rebus adjutor forma[tus]
1754. 2 Febr. vivere desiit ex aqua intercute pectoris et cangrena. erat
Georgius propter morum comitatem et religiosam in agendo suavitatem
gratiosus acceptusque omnibus; et licet laedi se interdum non nesciret
tamen neminem unquam laesisse visus est. in laboribus assiduus; [illegible]
in fratres charitatis cultor plane singularis, quorum domestica onera
in unum transferri cupiebat, atque expetebat. nitorem animi ita cura[bat]
ut quam[illegible] in dies singulos bis ex se rationes vitae exigeret; diebus ta[men]
quibus ad diurnam mensam accedendum erat, multo plus otii discu[ssioni]
conscientiae tribueret; bene gnarus: bonarum mentium esse ibi culpam [agnos-]
cere ubi nulla est porro. vita fratris religiosi assidua erat ad Deum [ea]
precatio; quam in seram non nunquam noctem protraxit, id quod et [sub ipsum]
mortis ab illo fieri observavimus. Matrem Dei adeo impense coluit, ut quo[tidie]
majores divini officii oras in honorem illius recitaret; et nunquam egrede[retur]
cubiculo, nisi prius de genibus cum Gabriele ardentissime eam salutasset. [illegible]
Deum sub speciebus panis velatum incredibili per diem saepius adorabat [con-]
stia, et pietate; cumque alii ad levandam litem consueta hora in Triclinium
descendebant, ille ad fontem vitae libero veniebat; a quo etiam tempus mortis
quod diserte praedixerat, eum didicisse non vane conjicimus. hoc tot [illegible]

[illegible] in dextera Dei nos optime sperare jubeant, P. Georgium jam consecu-
tum esse in Patria sua beatorum; quoniam tamen alia supremi Domini [illegible]
hominum sunt judicia, quae ignorantias etiam in rigidam [illegible]; [illegible]
[illegible] dextro Patres pro castissimi anima religionis [illegible] una cum materia
[illegible] subinde laudibus scribendi per amanter exoro, meque sanctis
[illegible] orat. memoriae enixe commendo

Glattovii 28 Feb.
Anno 1709

Reverentiae Vestrae

Servus in Christo

Joannes Rirenschopff [illegible]

Reverende Pater in Christo Pater

P. C. Duos pridie nonas Martii nobis mors eripuit viros aetate provectos. Prior decessit Pater Joannes Schmidt Sangvine ictus omnibus tamen pie decedentium Religionibus mature comunitus. Vir omnium amorem comeritus, cujus amabili consvetudine multum delectati sumus; pacis enim studiosissimus neminem vel verbo laesit, ac si ipse laesus fuisset ab aliquo, placido ferebat animo, qui cum aetatem vegetam Litteris mansvetioribus tradendis consumpsisset: Juventutem sibi creditam suavi et urbana quadam facilitate regebat, ac in officio continebat. Viribus jam fractis non cessavit tamen a labore, ac licet cubiculo perraro egrederetur, semper tamen quo se occuparet in eo reperit, otii hostis infensissimus, poenitentibus aures promptissime dabat. Natus est in Bohemia Pragae 1706 9 Maji Societati adscriptus 1722. 9 Octobris Philosophicis ac Theologicis disciplinis in Societate excultus est, Gramaticam professus est annis 4. Poesim 2. Rhetoricam 11. Dixit ad studiosos Litterarum 3, iisdem Christianae doctrinae capita explanavit annis 16 Quaestiones de moribus explicuit Domesticis 2, Scholis inferioribus praefuit 10, Seminario Juventutis Praesidis nomine 2. Sodalitati Latinae 16 Bibliothecae 2. nostris fuit a Sacris Confessionibus 14, eosdem exhortatus est annis 6. Historiam domus scripsit annis 16, curavit valetudinem in annum 5. professus quatuor votorum 1740. vigesima quinta Martii

Hunc duarum fere horarum intervallo secutus est, Vir grandaevus Pater Wenceslaus Czernohorsky quippe qui a suscepto Sacerdotio annos vixit unum et quinquaginta, Lethargo demum consumptus, cum pridie Sacris morientium mysteriis rite procuratus fuisset. editus est in lucem Nimburgii in Bohemia 1687. 12. Augusti, Societatem amplexus 1705. 22 Octobris, Scientiis Philosophicis, ac Theologicis in Societate perpolitus, docuit classes Grammaticas annis 4.

Poësim uno, dixit ad Studiosos Litterarum duobus, ad populum
26. eundem ante cineres exhortatus 4. Verni jejunii tempore 5.
Theophoriae octiduo 4. ad levandas defunctorum animas eundem
est hortatus 2. ad advenas Supplicantium ritu affluentes dixit 1.
ad domesticos 12, pridie novi anni 4. Coetui praefuit 1. Choro 1.
Scholis inferioribus 4. Doctrinam Christianam explanavit 1.
Nostris confitentibus aures dabat 15. Minister 1. Consultor 1.
Praefectus Spiritus 1. Curavit valetudinem annis 4. Vota 4
professus 1723. 2 Februarii Suspexit in Patre Wenceslao domus nostra
Virum non modo Religiosa Virtute insignem sed strenuum etiam
et indefessum operarium Evangelicum. Eluxit in eo rara animi
submissio, rerum caducarum contemptus, Religiosae paupertatis
amor, exacta legum nostrarum observantia, animi candor omnis
fuci expers, peculiaris in Sanctos indigetes nostros ac praecipue
in Deiparam Virginem pietas. Plura quae paginae hujus angustiae
non capiunt, annuis inferemus litteris. Superest ut pro [illegible]
anima solita Indici suffragia enixe petam, meque SS. Sacrificiis
memoriae demisse commendem, qui maneo

Jičini
Pridie Nonas Martii
1769.

Reverendi in Christo Patris

Servus in Christo
Joannes Paleczek

40.

41/3

Reverende Frater in Christo pater

P. C.

Cum tabes hectica P. Francisco Topfer extrema vitæ non obscure in proximo denuntiasset, supremis in hoc agone luctantium præsidiis sanctissimis mature provisus eodem tandem malo 24 hujus lapso, nona medio superatus Mariæ: sheina æternitatem, ut confidimus beatam placide adiit. E multis, quæ patrem Franciscum solidæ religiosæque perfectionis studiosissimum fuisse, loquebantur, in primis erat, interna cum deo et bene non interrupta conjunctio; hanc non omnino infrequenter, prodebant, cum ambulacra, seu obiret, seu gradus premeret, voce submissa repetiti actus piissimi, si mente consuetis orationum temporibus cum eodem communicandum, si voce pietatis officia persolvenda, cuncta multo spiritus fervore, ad sacri instituti nostri normam diligentissime peragebat; neve unquam in amore Numinis, vel leviter defesceret, istud speciebus panis velatum, insigni plane omnibus relicto exemplo, tenerrimo cultu adoraturus adiit, quam sæpissime: cujus ut et sibi, et afflictæ societatis saluti præsidium efficacius facilius exoraret, plenam doloris quoque Matrem peculiari eaque in dies statuta devotione sibi devincire conabatur. Et ut totam legem adimplere, amori Numinis dilectionem pariter proximi, qualicunque demum occasione licuisset, solicite conjungebat; his accedebat, ex animo profecta, sui abnegatio humilisque, hæc viro optimo multarum virtutum Mater admodum fœcundam; quam enim cupiebat subesse omnibus, tam quærebat offensioni esse nemini. inde moderatores suos ea semper observantia, eo honore prosequebatur, quem sacris legibus nostris præscriptam non ignorabat, in unumquemque nostrum moderatione religiosa animo minime fucato utens, verbo et actione, amans hilari, charus singulis habebatur atque adeo: ut nemo omnium ab eo vel leviter se unquam læsum recordetur.

Hominis est aerumnas ingressus, Comotovii 1708 12 Febr:
Societati nomen dedit, 1725. 21 Oct: Superatis disciplinarum
philosophicarum, et Theologicarum annis, mansuetiores gramati:
cae literas docuit annis 8 Pptm dixit, ad Studiosam Iuventutem 3
ad populum 25. ante Cineres et Theophoria diebus solemnioribus
2, per quadragesimam 2, Missionarii munus obiit 2. Praesidis
Coetus agoniae 3, Socii Regentis 1, Confessarii nostrorum 10
Catechistae Templi 4, Coadjutor Spiritualis formatus 1740. 25
Martii. Cujus vitae annos etsi iis meritis plenos arbitramur,
ut jam modo obtenta justitiae Corona eum beatum pie
speremus, tamen si quo nevo adhuc a consecutione ejusdem
prohiberetur, religiones in subsidium defunctorum debite
Constitutas pro hujus anima impense flagito, meque piis
ad aras memoriae commendo.

Comotovii 16 Martii,
1769
Reverentiae vestrae

Servus in Christo
Leopoldus Calderar

Reverende in Christo Pater.

P. C.

Inopinatam, sed, ut de Religioso homine fas est opinari, non
improvisam mortem obiit Ch. Victorinus Przibil. Hic dum vege-
tus sabbato ante quasi modo geniti nobis coena sublata surgit, atque
in domesticam familiam ex munere suo cervisiam ad cellam
dispertitur, sub elargitione ipsa subito alterum circiter quadran-
tem post septimam commotus est ictu apoplectico vehementer
adeo, ut tertio vix quadrante horae ejusdem lapso, animam reddi-
derit. Quare etiam deficiente lingua, insuper et reliquorum artu-
um usu impedito solum absolutione dum arbiter conscien-
tiae accersentur a nobis, sub conditione unctionisque sacramento un-
ice luctanti subsidium potuit deferri.

Fata vitae suae orsus est Radicowii in agro Moraviae Olomuc-
ensi A° 1732. Martii 22. Societati junctus est futurus tempora-
lium administer 27. Septem. 1758. In qua cum sutoriam curaret [?]
a. 6, aliisque quatuor domum alutariam; Procuratoris in domo
professa extra urbem ageret a. 1, itemque P. Socium custodis ad ja-
nuam tum structorem mensarum 3. Sociumque ejusce modi stru-
ctoris etiam 3. tandem cellam pro cervisia procuraret duobus ean-
dem autem simul cum ea quae est pro vino sesqui anno; ultimis
votis se temporalium adjutorum statui publice adstrinxit a. 1767
6. Februa.

Erat caeterum Victorinus noster mentis tranquillae homo; et qui
licet ignobili ex villa oriundus esset, tamen civilem et urbanam
satis morum suavitatem prae se ferebat, quam insuper praesta-
biliorem etiam reddebat: sua officia, cui cui demum, si in viribus
esset, deferendo. Sacerdotes reverebatur animi demissione non com-
muni, superioris praestanti. Et quamvis suas pietatis, religio-
nisque actiones tacitas, sibique soli haberi volebat, aliisque abs-
condebat, tamen in his neque sibi, neque DEO defuisse trita habe-
mus praeclara satis argumenta. Primum eorum est: quod a co-
mmentatione punctorum sub vesperam haberi ad fratres nostros
solita, nunquam se subducebat. Alterum: quod continuata neque
nisi ex muneris sui ratione, aut charitatis in proximum inter-
rupta lectione asceticorum libros pervolutabat, ut ab aliis stu-
diose observatum est. Tertium: quod in rebus ad munia sua per-
tinentibus perquam solers fuit. Quam autem idem ...

in fundata et solida virtute, quam S. P. N. Tantopere commendat; et in virtutibus maxime, quas divinas dicimus praeclaram et non infructuosam operam posuerit, dicimus ex his duobus: tum quod a percepta Eucharistia longius insigniter tempus, in suis cum DEO soliloquiis, quam alii, demoratus fuerit; cum etiam: quod notatus fuerit, omne id quod peccandi creare potuit periculum, et caute, et solerter defugisse.

Quare animam Ejusdem utpote inter nos degens se nobis religiosum dedit exemplum, suisque vitae probatae rationibus nostram in Ordine Societatem meruit, (etiam quamprimum si more illi contigisset) Indigetibus nostris sociari mereatur subsidiis, quae apud nos obtinent, spiritualibus demisse commendo.

Rdi P. in Christo

Crumlovii Bohemiae
Pridie nonas Aprilis 1769

Servus in Christo.
Wenceslaus Kraus
S.

Reverende Pater in Christo Pater Superior

P. C.

Virum ætate, et meritis gravem Patrem Rudolphum Wielta pleuritide, mox gangræna confectum extulimus. Ut primum ægritudine tentari cœpit, Sacramentis morientium munitus est, tum ferventissimis Religionis actibus intentus, inque Numinis voluntatem resignatissimus expiravit 11ma Maji horam prope sextam a meridie. Natus est Ploskovii Boëmorum 1692 Martii 8 die, Societatis tyro Brunæ 1708vo Octobris die 9. Politiores Litteras repetiit anno 1. Philosophiam audivit 3. Gramaticam docuit 3, totidemque Studiosam juventutem est exhortatus. Tum peracto Theologiæ cursu prælegit Poëticam 1. Rhetoricam 8. Christianam doctrinam explanavit 5, ad concionem dixit 18, ante cineres 5, per Theophoriam 3, verno jejunio 75, majoribus festis a meridie 3, pro defunctis itidem 3, Sodales Marianos rexit totidem, totidemque Seminarii Regentis egit Socium, Casus conscientiæ explanavit 9, Præfectus templi 9, domus Superiori a Consiliis 4, valetudinem curavit 8. Professus 4vota 1726to 2da februarii. ~~Hæc~~ est viri religiosissimi ætatis, meritorumque series, quam aliis prætereavirtutum prærogativis augere non destitit prius, quam vivere desineret. Nam ut de illa, quam Societati præco sacer procuravit, comendatione nihil adferam, quæ præclaro auditorum suorum testimonio ita perennat, ut ampliori laudatione non egeat,

domi quoque vario virtutum genere preluxit boniis; Religione in Deum, precipueque Eucharisticum Sacramentum usque habitum vite ardentissimus, Virginee Matris, ceterorumque Sanctorum cultor assiduus, virtutum, religiosis omnibus, at ejus cumprimis, que Societati nostre est propria, Studiosissimus. Qua mentis integritate esset comitas, moresque placidi, et amena semper agendi ratio docuerunt, non ille etatis vitio laborare, non morbi gravitate concuti, non senectutis asperitatem prefeferre; verbo talem se probere omnibus, qualem optat JESU Societas.

Superest, ut pro optimi Senecionis anima consueta ordinis nostri Suffragia, materiamque laudationi posthumo servituram impense flagitem, qui me sanctis ad aras memorie commendo

Hradistii 14 Maji
Aº 1769

Reverentie Vestre

Servus in Christo
Joannes Milota m.p.

Reverende Pater in Xo Pater.

P. C.

Diuturnitatem morbi morte superavit Joannes Zang Scholasticus noster, humanioribus litteris repetendis, ut mos obtinuit, Superiorum voluntate anno hoc addictus.

Aegrotare is coepit Aprilis die 5. ex colica inflammatoria moxque Pleuritide adeo acriter, ut morientium sacramentis jam tum procurari debuerit; Symptomatis aliis subinde variantibus, ac medicae industriae prope illudentibus, malo postremo, quod febris lenta tabifica fuit, patientiae invincibilis constantiam potissimum probavit.

Natione erat Moravus, Patria Iglaviensis, ubi vivere coepit anno 1748. 16. Junii. Societatem ingressus 1766. 21. Octobris. Tyrocinio egregiis virtutum exemplis transacto peculiari alacritate animum applicuit ad mansuetiores litteras, simulque linguae graecanicae, quae tempore eorum repetentibus nostris tradi solet, consecutionem, opera tanto magis laudabili, quanto paucioribus est ad palatum.

Et quum Societatis nostrae Scholasticus litteris quidem multum, at virtuti sese impendere debeat quam plurimum, sollicite curavit Charissimus Joannes, ut non fucata quadam legum tum communiter omnibus, tum gradui suo peculiariter praescriptarum custodia Superioribus esset solatio, aedificationi Sociis, extraneis exemplo.

Inde consecutum est, ut verus hic Jesu Socius ex mente Divi Parentis nostri non minorem aedificationem, dum morbo laborabat, praestiterit, quam dum valebat corpore.

Eucharistici panis fames prope insatiabilis, Divae Parentis Virginis filiale studium, caeterorumque Sanctorum atque imprimis Divi Joannis Nepomuceni, Aloysiique cultus assiduus, Sermonum piissimorum usus perpetuus, haec erant quibus praeter occupationes scholasticas libenter distinebatur.

Et cum florenti aetati mors esse soleat plerumque acerbior, satis nihilominus religiosissimis affectibus identidem praevidit egregius hic Juvenis cupere se, si ita placeret Numini, dissolvi, et esse cum Christo.

Non vacat porro singularum virtutum, quas constanter exercuit, meminisse; Satis est, talem fuisse Scholasticum, qualem Societas esse vult; eratque tanto majore dignus laudatione, quod interea status sui duntaxat officia explens nunquam in spiritu indiscrete praecipitaverit, spem tamen relinquens optimam futurorum laborum pro DEi gloria et proximi emolumento. Atque his demum Charissimus Joannes meruit, ut si quo nihilominus poenae debito, adhucdum attineretur, pro anima ejus piacularia officia impensissime exposcam, qui me Sanctis aris memoriae commendo.

Hradistii 10 Junii
1769.

Reverentiae vestrae

Servus in Xo
Joannes Milata

Reverende Pater in Christo Pater

P. C.

Dolorem quem 13 Sept. ex obitu Clmi Fran: Riedl hausimus, auxit in immensum sequuta sub vesperum ejusdem diei ex phrenitide mors Patris Joannis Hampeli, qui licet obstantibus rerum adjunctis, arte medentium omni elusa, pane coelesti supremum refici non potuerit, culpis tamen omnibus tempestive expiatis sacro oleo rite unctus est. Et vero pernecessaria illi erat haec ad ultimam luctam praeparatio: quam a secunda fere matutina ad horam usque post meridiem septimam, nostris qui aderant lacrimas prae commiseratione fundentibus, sustinuit gravissimam: dum tandem inter ferventissima ad Deum suspiria, patriaeque coelestis desideria, animam innocentem reddidit. Natus erat Pragae Bohemorum 1733 15 octobris nostrorum in numerum cooptatus Brunae 1750 21 octobris absolvit in Societate Phliam et Thliam cum laude. Repetivit Rhetoricam et linguam hebraeam annis 2. Classes grammaticae docuit 3. Rhetoricam 5. Juventutem scholasticam exhortatus 1. Congregationi Latinae praefuit 5. Historiam domus scripsit 1. 4 Vota professus 1768 2 feb. Erat P. Joannes eruditione omni imprimis vero illa, quae ad artes mansuetiores pertinet apprime excultus virtutibus tamen socio Jesu dignis multo magis ornatus, quas inter principem quidem locum obtinere videbatur, profundissima quaedam animi demissio: quae illum ita sibi ipsi vilem reddidit, ut nihil omnino praeclari in se agnosceret, praeferret se nemini, nihil honorem

nihil commodorum unquam appeteret: verum
se minimum reputans, aliis primas deferre
nec praepositorum modo, sed et aequalium
voluntati morem ubique gerere in deliciis
haberet. Animi demissionem sequebatur comitas
et ab omni dolo aliena vivendi agendique
ratio: quae Patrem Joannem omnibus reddidit
Charum; Neque profecto erat quisquam qui
laesum se aliquando aut facto illius, aut dicto
quopiam quereretur. Jam vero cura exercita-
tionum spiritualium rerumque omnium
ad Deum et animarum salutem pertinentium
in eo erat tanta, ut in his quam curatissime
obeundis anxius paene extiterit res etiam
parvas ad cultum Numinis spectantes
omnibus caeteris curis et profanis negotiis
praeferre sit visus. Plura et eximia virtutis
documenta, quae in viro integerrimo suspe-
ximus, perscribere temporis prohibet: quare
consueta jam religionis officia pro anima
ejusdem persolvi impense et porro, meque
sanctis ad aras memoriae commendo

Reverentiae Vrae

Gičini 14 Sep.
1769

Servus in Xto.
Joannes Kaleczek

76

Reverende Pater in Christo Pater

ad 2a

Qui longo jam tempore sinistra apud nos valetudine
utebatur Chmus Franciscus Rieil, hodie tertio
post secundam quadrante noctis animam suo reddidit
Creatori omnibus morientium praesidiis in corona Nostro-
rum comprecantium ritè prius munitus concessaq; à
Sede Apostolica noxarum venia maturè donatus.
Primam lucem aspexit Winterbergae in Bohemia Ao 172[illegible]
10. Janu: Societatem Nostram ingressus Brunae 1744
7 Julii in hoc Loco Oeconomi munus sustinuit An. 9.
Excitatoris 12. Visitat: Noct: 10. Infir: 4. Curam sarto-
riae gessit 3. Triclinii sp. Annum 4. Praeter alia
virtutum decora, quae laudem non vulgarem merében-
tur, et commendationem eluxit cumprimis in Chmo Fran-
cisco eximius SSmi Eucharistici cultus ac Reverentia
quem utut fractis jam morbi diuturnitate viribus
indies tamen saepius adire, atque non sine venera-
rationis sensu adorare visus est. Cum caeterorum omni-
um, tum maxime Praepositorum observans erat adeo, ut non
dicta solum imperia sed nutus etiam sequeretur
promptissime. Ad haec fortem in adversis tolerandis

animum, ut aliis quidem saepius ita tum superiore cum morbo laboraretur praecipue ostendit. Quia mortem ipsam non modo non pertimescere verum si haec voluntas Domini sit in horas expetere paratum se agebat, quae quidem omnia spem nobis non dubiam faciunt animam Rdmi Francisci Caelitum jam numero adscriptam esse; quod si tamen naevis omnibus nondum forte expiatis ab horum societate adhuc arceretur, consueta pro eadem sacrificiorum ac precum subsidia enixe expostulo meque simul ad aras memoriae commendo.

Viennae 13 Sept. 1709

Reverentiae Vestrae

Servus in Christo

Joannes Kaleczer

Hodie iterum ex Strenitude circa dimidium septimae vespertinae obiit P. Joannes Hampeli.

Reverende Pater in Christo Pater

P. C.

Tres anni sunt, quibus afflicta continenter valetudine utebatur P. Josephus Schkrochowsky, sed febris demum inflamatoria, accedente gangraena eundem 28 Septb. Diei pro 11 prope meridiem quadrante humanis eripuit.

Natus est Pater Josephus Reginae Hradecii 1703, 13 Julii, Societatem ingressus Brunae 1718. 24 Octobris. Absolvit in ea Philosophiam, et Theologiam, docuit classes Gramati-ces annis 3, et Aimeltiis, item ad Studiosas 2 Exhortator in Dominicis 1, Concionator in festis 5 in Dominicis 1. Missio-narius de poenitentia 4 Missionarius item Rzimovii 16 Praefectus Spiritus, et Confessarius 1mus Nostrorum 2. Vota 4 Professus 1746. 2 Februarii.

Ex hac laborum Apostolicorum serie non difficulter colligimus Patrem Josephum in vinea Domini naviter laborasse, qua utrum pro vero JEsu Socio, et Sancti Pa-rentis Ignatii filio laudationes posthumae summa esse meruit.

Placida, qua utebatur indoles, dum viribus pollebat, cunctis eum amabilem reddidit, quod ii quidem defuncti, praecipue, quibuscum in Missionibus variis suaviter agebat, et fortiter semper discrete.

Cum autem vere Apostoli sit, non modo agere multa, sed et multa pati; hanc quoque in se notam habuit Pater Josephus, quando diuturnitatem morbi, doloresque incredibiles constanti toleravit animo, omnibus in exemplum, laborandum esse strenue dum vires suppetunt, sustinendum fortiter, atque alacriter dum mala ingruunt, ut et laborum et patientiae praemia nanciscamur.

Quae quidem, ut pie credimus, cumulate Pater Josephus obtinuit, tamen piaculoria pro eodem suffragia de more Societatis impensissime flagito, meque sanctis ad Aras memoriae commendo.

Hradistii 20 Sept.

Reverentiae Vestrae

Servus in Christo
Joannes Skilota m.p.

Reverende Pater in Christo

P. C.

DEcem intra mensium cursum tertium jam censemus Domo nostra elatum Funus Patris videlicet Joannis Jüttner, cui nihil proficiente assidua Medicinæ peritorum cura inflammatio pulmonum heri post primum pro 12. ante meridiem quadrante spiritum interclusit cum vita hac in urbe, in qua eam hausit Annô 1711. 26. Junij, Societatem ingressus Brunæ 1728. 9. Octobris, in qua absolvit Philosophiam, & Theologiam. Docuit Classes Grammaticæ Magister 4. Sacerdos 1. Rhetoricam cum Poësi, & cæteris inferioribus Classibus Dresdæ 3. ibidem fuit Regiæ Fundationis puellarum Administrator in Spiritualibus an: 2. dixit ad Studiosos 1. ad populum in majoribus festis sub auroram 2. post meridiem 3. Nocte Nativitatis Domini 7. Festo S. Joannis Nepomuceni 9. in Festis anni de præcepto, & per Solennitatem Corporis Christi, ac triduo ante cineres, 5. in Dominicis, & per quadragesimam 3. ad Domesticos dixit an: 15. præfuit cœtui pro bona morte 7. Congregationi civium in Annum alterum. Scholis 2. cum dimidio, collationi casuum conscientiæ 2. punctorum pro meditatione ad Fratres in an: 3tium. fuit præterea Confessarius Nostrorum an: 7. Præfectus Spiritus, & Confessarius Domus primus in annum 3tium. Examinator pro Jurisdictione in 5.tum. Minister Collegiorum an: 10. Professus 4. Vota 1746. 2. Februarij.

Tantarum operationum Vir Pater Joannes quanto spiritu earum expleverit singulas, luculenter perspicere licet consideranti ejus perarctam cum Deo conjunctionem, quam præcipue prodidit in rerum eventibus contrariis iterum iterumque suspirando: Mi DEUS! ac etiam extremis vitæ horis celare non potuit, adeo postquam in cætu nostrorum sacro Viatico, sanctoque Oleo, plenariæque Indulgentiæ applicatione munitus fuisset, assistentibus sibi per vices sacerdotibus miro candore aperuit, habere se in promptu mentis adspirationes extremæ luctæ congruentes, nihil itaque dubitarent, si ab iisdem suggerendos actus voce, aut aure non assequeretur, ipse imo suggerebat repetendam animæ commendationem, aliasque moribundis salutares divorum invocationes. Ex eadem cum supremo Numine unione profluxerit, quem per vitam omnem coluit, vehemens in orando fervor, moderata in celebrando Missam prolixitas, singularis in tribunali pœnitentiæ suavitas, rarus extra tempora recreationi designata silentii amor, elucens in reculis Paupertatis religiosæ custodia, in incessu oculorum modestia, in conversando, ac, quod pro superiore domus bis terve eidem obtigit, in gubernando mansuetudo, atque humilitas, heroicum pacis studium, quo præsertim quondam munere, ac loco cedere maluit, quam vincere. His sacræ conjunctionis effectibus junxit P. Joannes ferventem cultum cœlitum, deiparæ cumprimis Virginis, hic cultus, qui apud Oppavenos, in Imaginem beneficiis in Templo nostro clarissimam viget assiduus, ut porro non in ipso duntaxat, sed & in concivibus conservaretur, tempore, quo omnis ferme urbs flammis devastaretur, prima Patris Joannis tum Præfecti Templi cura fuit in summa illa trepidatione thesaurum hunc, etsi non exigui molirninis fuerit istud perficere, in tuto locare, prius tamen ad limen templi flammis jam haud procul inde grassantibus opponere, populoque afflictissimo in refugium exhibere, nec etiam flammæ ultra, quam tunc progressæ fuerant, ausæ sunt vastare.

Quo piissimo in Cœli Reginam conatu juncto cæteris virtutum ornamentis quamvis confidamus animam P. Joannis in conspectum ejusdem, ac Throni DEI absque purgantibus flammis ab obitu admissam esse, si quid tamen humanum eidem adhæsisset, quo in iisdem ignibus retineretur, Societati nostræ familiares religiones in ereptionem ejus summo studio procurari omni pietate flagitto, meque sacræ ad aras memoriæ commendo,

Reverentiæ Vestræ

Oppaviæ 13. Aprilis 1769.

Servus in Christo

Zacharias Bolzer m.p.

Reverende Pater in Chriſto

P. C.

NIſi Divinis Ordinationibus ſtare noſſemus, ſane humanis mœroribus ſuccumbere nos oporteret, adeo vix a Luctu de Collegii noſtri Capitis nuper alioſum, incolumis quidem, translatione reſpiravimus, mox ejusdem vices tenentis ad æternitatem lugere evocationem adſtringimur.

Erat is R. P. Norbertus Stiaſny Boëmus Potczatecenſis, natus Annô 1702. 30. Maii. Societatem ingreſſus 1720. 10. Octobris, abſolvit in Societate Philoſophiam, & Theologiam, docuit Claſſes Grammatices An. 3. Poeſim 1. dixit ſub Auroram 3. in Feſt. 4. in Domin. 4. Doctrinam Chriſtianam explanavit 5. fuit Exhortator ante Cineres, & per Theophoriæ ſolennia 4. in Quadrag. 4. Præſ. Congreg. 6. Præſ. Scholar. 1. Cons. Dom. 3. Miſſion. 1. Procurator 15. Superior Reſidentiæ 3. Adminiſtrator Oeconomicus Annis 4. Vice-Rector in Menſem 3.tium Profeſſus 4. Vota 1738. 2. Februarii.

Tranſitum ex hac vita R. P. Noberto conciliavit 17. hujus ictus Sanguinis adeo violentus, ut non niſi ab advocato per ſe ipſum Sacerdote noſtro ſacramentaliter abſolvi potuerit. Quem obitum, ut ut lugemus, tamen ad gratulandum ejus Animæ felicem æternitatem nos erigunt præclara virtutum documenta, quibus, quoad vixit, eminuit; eorum præcipuum facimus religionem in SS. Cor JESU, & in Virginem Deiparam; illius monumentum exhibet ſacellum Domus Melczenſis, hujus: Templum Tuchomericii, ad illud in Dies preces ab operis domeſticis fieri conſtituit, huic in Templo Tuchomericii cultui expoſito Ornatum adjecit ſplendidiorem aris aliis, quas omnes cum reliqua Supellectile a vaſtatione hoſtium reſtituit, omnia ſumtibus ſuæ cæteroquin a ſuperioribus peculiari opportunitati conceſſis, quorum partem non poſtremam venerationi Angelici Juvenis Aloyſii promovendæ diſpertiit, Alterum Virtutum Documentum legimus in Paupertatis erga ſe ipſum, liberalitatis in alios amore, quo ſibi nec quidem illud, quod ſuperiorum conſenſu poterat, peculium conſervavit, ſed eorundem permiſſione ſeu Fratribus in Chriſto, ſeu externis, præcipue literarum alumnis, largitus eſt. Dies deficeret. ſi reliqua pro merito exaltare conaremur, documenta; ſeu enim ſpectemus manſvetudinem, qua præfuit, imo humilitatem, cum non aliter, ac unus de Sociis ſubditis, reſpici voluit, ſeu patientiam, & tolerantiam attendamus, illam quippe in moleſtiſſima tot iniquiſſimorum Oeconomiæ Annorum adminiſtratione conſtanter retinuit; hanc in valetudine frequentiſſime adverſa non amiſit, Injuriarum ſeu iniqui temporis, ſeu adverſantium hominum ſemper immemor, ut non attingamus induſtriam Oeconomicam, qua Collegiis, Reſidentiis, & Domibus plurimum profuit; hujus enim & cæterorum viro hoc digniſſimorum encomiorum argumenta literis annuis inſerta dabimus. In religionum itaque Societati conſuetarum pro Defuncto, ſi qua opus nihilominus haberet, expetitione me ſacræ ad aras memoriæ humillime commendo.

Oppaviæ 21. Martii
1769.

Reverentiæ Veſtræ

Servus in Chriſto
Zacharias Polzer mp

Reverende in Christo Pater

Literas Adm. R^di^ Patris nostri, paternæ suæ sollicitudinis de spirituali omnium profectu testes ad me 13. Martii datas cum omnibus communicandas hic adjungo, quæ sic habent:

Reverendi Patres in Christo, & Fratres charissimi

P. C.

Monet nos sanctus Propheta David, ut in angustiis nostris oculos ad Deum conversos constanter habeamus, dum ipse ad commiserationem permotus auxilio nobis veniat. *Oculi nostri semper ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri:* Confido PP. & FF. in Domino charissimi, vos perseveranter precibus insistere, quas a vobis pro vestra erga Societatem jam diu afflictam charitate alias postulavi. Sed quanquam amor in Religionem vester stimulis non indiget, quibus denuo ad faciendas deprecationes excitetur, meus tamen dolor exigit, ut novo in eam rem incitamento vobis instem. Non sine confusione mea video, Dominum nondum esse dignatum manum suam Omnipotentem ad nos sublevandum extendere. Amoris quidem, ac misericordiæ erga nos suæ quam plurima interim argumenta nobis tribuit, nosque præsentiam, & peculiare, ac pene mirandum ejus patrocinium multifariam experimur; liberum nihilominus calamitatibus nostris cursum permittit. Adoro ejus judicia nunquam non æquissima, calamitatum causam culpis nostris ac potissimum meis attribuo; eique sincera confessione dico: *Omnia quæ fecisti nobis Domine, in vero judicio fecisti.* Quid tamen? an propterea immemor erit exercendæ misericordiæ Deus noster, cujus natura Bonitas est? nunquid obliviscetur misereri Deus? Imo compertum habemus solere ipsum vel cum irascitur, eximiæ misericordiæ suæ meminisse. Scimus multo esse plura hujus misericordiæ, quam justitiæ, cæterorumque ejus attributorum effecta. Quare cum precor, vosque una mecum precamini, ut fragilitatis, atque imbecillitatis nostræ recordetur, & ad commiserationem flectatur. Quodsi ejus justitia velit peccata nostra respicere, precamini, ut ea respiciat in Filio suo Jesu, qui omnia in se suscepit, & tanta pro eis exuperantia satisfecit; precamini denique, ut ejus dono cor illud humiliatum, & contritum habeamus, quod ipse non despicit, nec solet a se rejicere.

Nostra itaque peccata impedire non debent, quo minus vehementer confidamus, Deum sancto Nomini suo gloriam daturum, nobiscum agendo secundum infinitæ misericordiæ suæ propensionem. Multo minus fiduciam nostram infirmare debent ea tempora, quæ nos terrent. Imo si rem probe intelligamus, iis magis confirmanda est. Omnino deserti sumus, atque omni ferme humano subsidio destituti; igitur Deus uni sibi curam nostri gerendam reservat, vultque, ut nemini auxilium nostrum nisi sibi acceptum referamus. Hac certe ratione peramanter nobiscum agit; nos enim docet, quam non sit hominibus fidendum; nec patitur a nobis aut spei nostræ partem in aliis collocari, aut aliis præterquam sibi accepti beneficii gratiam referri. Sed hac ipsa de causa major erit misericordiæ triumphus, utpote magis perspicuus, & aspectabilis. Nos autem quid timebimus, si Deus ipse scutum sit nostrum, & protectio nostra? Imo ab hominibus derelinqui nobis est emolumento, quandoquidem Deus velle se Patrem esse Orphanorum, ac derelictorum præsidium testatur. Talibus humilitatis, & fiduciæ affectibus, iis tamen vehementibus ac sinceris, manus, oculosque ad cœlum extollamus, ubi Dominus ille habi-

tat, qui adjutoris in tribulationibus opportuni appellatione gloriatur, opem ab eo & levamen implorantes. At præterea fervida esset debet oratio. Sanctus David in Psalmis suis, quibus quædam recte orandi continetur practica disciplina, sæpissime repetit, se de profundo tribulationum suarum Dominum deprecari; idque non submissa voce, sed vociferationibus, & clamoribus: *De profundis clamavi ad te, Domine. Ad Dominum, cum tribularer clamavi*, aliisque identidem in locis hanc eandem loquendi formulam usurpat. Ejusmodi vociferationes & clamores fervidam significant contentionem, qua orare oportet, quæ tanta esse debet, quanta est tribulationis, quæ suffertur, magnitudo, quantumque, & quam vehemens impetrandæ liberationis desiderium. Non est cur vobis exponam, quæ & quantæ sint, quas perpetitur Societas, afflictiones: norunt omnes summa esse damna præsentia, summum futurorum timorem. Eam ab iis malis liberari tam vehementer cupitis, quam magna ipsam charitate prosequimini. Et merito, vias enim salutis ea vos docuit, quo sane beneficio nullum majus, & quod vestra magis intersit, haberi potest. Reliquum est, ut precationes nostræ in Nomine Jesu Christi fiant, nam id quoque habere debent, ut efficaces esse possint, & ad cor divini Patris flectendûm aptæ, juxta illud, quod idem Jesus asseveravit: *Quidquid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis.* Cui tamen dubium esse potest, nostras ejusmodi orationes in Nomine Jesu Christi fieri? petere in Nomine Jesu ut explanat S. Augustinus, est petere id, quod expedit, & æternæ saluti nostræ conducit. Nos autem quid aliud petimus, dum pro conservatione Societatis, & nostra in Societate conservatione preces ad Deum fundimus! Dominum precamur, ut in ea vocatione perseverare nos sinat, qua fuimus ab ipso vocati ad hoc Institutum pium, sanctum, laudabile, summopere frugiferum, & ad promovendum Dei honorem, atque animarum salutem valde accommodatum; quemadmodum Ecclesia & Christi Vicarii declararunt: precamur, ut nobis detur ea fideliter solvere, quæ Deo promisimus, cum religiosa vota nuncupavimus; vitam nostram ad eas leges conformare, quas nobis præscripsit Parens ille sanctissimus, summo erga salutem animarum ardore flagrans, superno lumine ad eas condendas divinitus illustratus; leges inquam a divinæ sapientiæ præceptis haustas, & ex sancto Evangelio transcriptas, ut perspicuum est eas attente considerantibus: precamur denique posse vestigiis insistere multorum, in Sanctos jam rite annumeratorum, totque aliorum eximia sanctitate hominum, qui nimirum observantia istarum legum se ad altissimæ perfectionis apicem evexere, immensum collegerunt meritorum cumulum, & singularem in cœlo felicitatem ac gloriam sibi compararunt; in quantam igitur spem ingredi debemus ea consideratione, quod precationes nostræ vere, proprieque in Nomine Jesu Christi fiunt, eaque recordatione, quod factis in ejus nomine precationibus nihil non conceditur.

Sed præter commemoratas conditiones, quæ orationi sunt intrinsecæ, alia ipsi extrinseca plurimum valet ad eam corroborandam, ejusdemque efficaciam augendam. Quantum roboris accedit nostris precibus, cum eas inculpatæ vitæ innocentia, multique Sanctarum virtutum actus comitantur! Benignius excipiuntur, ac facilius postulata impetrant supplices libelli, quos Principibus porrigunt homines apud ipsos maxime gratiosi, & orationes Deo oblatæ ab innocentibus, sanctisque animabus, quæ ipsi sunt acceptissimæ beneficia consequuntur etiam summa, adeo, ut in eorum gratiam interdum relaxentur naturæ leges, & miracula patrentur. Quam ob rem, quo plus in Dei amicitia proficiemus, eo majorem efficaciam, pondusque orationibus nostris conciliabimus; eas Angeli multo libentius ad Dei Thronum perferent, & Sancti, quos nobis Patronos advocamus, & adjungimus, studio majore suas nostris preces conjungent: præsertim S. Ignatius, totque alii Societatis homines, qui beatam in cœlo vitam degunt, & vehementius nunc amant illud Institutum, quod ipsos eo perduxit, sollicitudine longe majore rescriptum curabunt propitium orationibus eorum, qui idem Institutum fideliter observant.

Preces

Preces igitur Vestras Patres, Fratresque charissimi animate omni pietatis exercitio accurate, fervideque obeundo, mutua inter vosmetipsos charitate, obedientia & observantia erga illos, qui vobis Dei loco sunt, tolerantia laborum, ærumnarum, paupertatis, contumeliarum, secessu & solitudine, prudentia, & Evangelica in agendo simplicitate, boni exempli operibus, piisque colloquiis. Societatis hoc spiritu informatæ conservationem a Deo petimus. Si eam hoc spiritu spoliari contingeret, quod avertat Deus! nihil admodum referret, si esse desineret; quia ad eum finem, ad quem condita fuit, inutilis evaderet. Qui hunc spiritum in se excitare negligerent, & multo magis, qui eum in aliis extinguere studerent, inducentes contrarium spiritum inobservantiæ, superbiæ, dissensionis, contumaciæ, audaciæ, certam Societatis ruinam inveherent cum maximo divini honoris, proximorum salutis, ac propriæ detrimento. Sed avertat Deus, ut unus aliquis istorum inter nos degat.

En PP. & FF. charissimi postulatio mea, & causa, quæ me unice movit, ut has literas ad vos scriberem. Orationes a vobis peto, sed quales vobis descripsi. Eas a vobis peto totius Religionis nomine; pro ipsa Religione peto, ac denique pro vobismetipsis; pro ea re, quæ vobis est charissima, pro re, quæ vestra maxime interest, qua nulla est, de qua magis solliciti esse debeatis. In animo mihi non est novas preces indicere, commendo tamen, ut eæ continuentur., quas jam alias præscripsi; præsertim quotidiana SS^mi^ visitatio, quam in Societate perpetuari velim. Extraordinarias orationes, quas postulant præsentes rerum angustiæ, uniuscujusque arbitrio relinquo, & charitati, qua quisque Societatem complectitur: a Superioribus etiam ad certum tempus præscribi poterunt. Quod superest, me SS. Vestris Sacrificiis, & precibus commendatum habete.

Romæ 13 Martii 1773.

*RR. VV^rum^*

Servus in Christo
LAURENTIUS RICCI.

His vix acceptis aliæ ex urbe ad me allatæ sunt literæ die 20 Martii datæ, in quibus idem P. N. 1mo: queritur notatos esse concionatorum nonnullos, qui relictis fontibus rivulos quærunt, comparando sibi conciones gallicas in germanicum idioma versas, juxta quas stylo cultiore dicunt, sed fructu minore. Commendat itaque majorem in modum omnibus, præcipue tamen junioris illius generis concionatoribus diligens sacræ solidæque eloquentiæ studium, quæ omisso inani verborum nitore non tam facultatem intelligendi pascat, quam voluntatem ad bonum amplectendum moveat. Deinde iterum iterumque graviter prohibet lusum foliorum, facta potestate superioribus imponendi præceptum iis, qui ab eo non desistent. Denique valde optat, omnesque hortatur, ut non modo in scientiarum quarumvis, atque pulchrarum artium studia sedulo incumbant, verum etiam majorum Nostrorum exempla æmulantes tempus liberum impendant conscribendis, edendisque ejusmodi eruditis operibus, quæ subtilitate cogitandi, rerum distributione, ac styli latini alteriusve proprietate vulgarem, & obviam scribendi rationem supergrediantur. Paucis: quibus non modica ad Societatis nostræ existimationem accessio fiat. Quare ne optimi Patris Nostri utilissimo consilio opera mea desim, idemque etiam, qua valeo efficacia, apud singulos promoveam, volo, ut qui aliquid qualicunque in materia quovis idiomate orbis litterati expectationi

consonum in lucem emittendi facultate pollere se se in Domino existimant, me hujus laudabilis sui studii atque propositi in tempore admoneant, ne officiorum laboribus (quod curæ mihi certe erit) impediantur.

Porro nonnulla commendanda habeo, & quidem ante alia id, quod ad dominii abdicationem completo 24 ætatis, & 4 Societatis anno faciendam attinet, ad quam omnes vi simplicis voti paupertatis obstrictos se se esse sciant adeo, ut ejus differendæ potestas soli Patri Nostro sit reservata. Qua in re, ut muneri meo satisfaciam, omnes rursus moneo, hortorque, ut dum suis se facultatibus sive paucis, sive locupletibus abdicant, exuto quovis carnis affectu, unoque Christi consilio sibi proposito iis se abdicent, serio apud animum suum ac coram Deo deliberantes: Propinquisne an aliis pauperibus transcribendæ sint? Tametsi enim venia non confictis, aut fucatis rationibus a superiore ad id impetrata, nimirum: ut fortunas suas qualescunque propinquis attribuere valeant, a graviore eos religione utcunque liberos præstare videatur; tantum tamen abest, ut ea agendi ratione, quam superior infirmitate potius eorum motus, quam voluntati consentiens iis interdum permittit, religiosam perfectionem sectentur, ut etiam ab ipso vero sinceroque ejus studio, quo e statu sui obligatione gravissime tenentur, valde remotos esse se se comprobent; nisi fortassis eadem propinquorum, quæ aliorum pauperum misera sors esset atque conditio.

2do: Charissimi Apothecarii mox a lecta hac mea ordinatione sigilla omnia ad Reverentiam Vestram deferant, quorum usus, dum pharmacopolia nostra publici juris essent, ob varia, crebraque negotia, atque literarum necessaria commercia, quæ sive impedito, sive absente Superiore moram persæpe non patiebantur, eis antea concessus fuit. Illis vero in locis (Collegia intelligo, atque Residentias stabiles, exclusis Prædiis, ad quæ Apothecæ a Collegiis recens sunt translatæ) in quibus nobis hucusque integrum est, pharmaca externis vendere, relinqui quidem Charissimis Apothecariis sigillum potest, quo tamen nequaquam abutantur ad res, litterasque ab officii sui curis alienas, quas semper a Superiore signari faciant, nisi deprehensi, statutis pœnis certissime plecti velint.

3tio: In memoriam omnibus revoco Reg. Commun. 43. qua omnibus absque discrimine prohibetur domo egredi, nisi quando, & cum quo socio superiori visum fuerit. Cujus sanctæ legis diligentem executionem hoc vehementius commendo, quanto magis ad gravitatem religiosam, & proximorum ædificationem facit socium vitæ, morumque testem ubivis habere.

4to: Quo piissimis Patris Nostri desideriis, in epistola superius recitata manifestatis, hoc afflicto rerum nostrarum statu aliqua ratione respondeam, statuo: ut in omnibus triduanis devotionibus, quæ ante 5 festa Mariana, & ante festum SS. Cordis Jesu, uti & per 9 dies ante festum S. P. Ignatii e præscripto fiunt, atque etiam deinceps fieri debent, oratio per ipsam integram dimidiam horam a singulis peragatur, qua rite exacta primum consuetæ preces vocales inchoentur. Præterea singuli Sacerdotes dicent proxime 3 Sacra, & FF. recitabunt 6 Coronas pro conservatione Societatis nostræ.

Ad extremum me, & necessitates Provinciæ sanctæ omnium memoriæ commendo, ac maneo

Pragæ die 28 Maji
1773.

Reverentiæ Vestræ

Servus in Christo

Godefridus Provin[cialis]

Skanowanie i opracowanie graficzne na CD-ROM :

DIGITAL - CENTER

ul. Krzemowa 1
62-002 Suchy Las
www.digital-center.pl
biuro@digital-center.pl
tel./fax (0-61) 665 82 72
tel./fax (0-61) 665 82 82

Wszelkie prawa producenta i właściciela zastrzeżone.
Kopiowanie, wypożyczenie, oraz publiczne odtwarzanie w całości lub we fragmentach zabronione.

All rights reserved. Unauthorized copying, reproduction, lending, public performance and broadcasting of the whole or fragments prohibited.